



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.41. S. Salvius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

§. XLI.
S. Salvius.

Sæculum VI.
A. C. 579.

Sanctus Salvius, qui a vulgo *Salvi* dicitur, cum diu prius in Sæculo versatus, causis profanis cum Judicibus vacasset, vitiis tamen, quibus juvenilis ætas immergi solet, non est inquinatus; sed ad majorem vitæ perfectionem tendens relicto Mundo Monasterium ingressus, cum diu ibi sub Regula vixisset, electus est Abbas. Tunc vero solitudinis & rigoris amore captus, & Cellulæ se includens Congregationi valedixit. Advenis tamen ad ipsum invisentibus responsum dabat, pro eis orabat, & distribuebat Eulogias, quæ sæpe ægrotantibus salutis fuere. A febre violenta aliquando oppressus, expirasse credebatur. Lavatur, vestitur, feretro imponitur, & tota nocte fratres apud eum preces ad Deum fundunt. Mane moveri, & quasi e profundo somno evigilare visus est, aperuit oculos, levatisque ad Cælum manibus auditus est dicere: heu! Domine! cur me ad hanc terram tenebris opertam redire cogis? Surrexit recepta sanitate nemini loqui volens. At post triduum narravit, se ab Angelis duobus in Cælum evectum vidisse Paradisi Gloriam, & invitum fuisse dimissum, ut iterum in hac terra degeret. Gregorius

Greg. VII.
c. I.

Hist. Eccles. Tom. VIII. I Turo-

Sæculum VI. Turonensis testem Deum invocat, se hoc
A. C. 579. factum ex ipsius ore excepisse, & credi-
 bile est, quod illo temporis spatio, quo
 mortuus videbatur, ipsi hæc mirabilia in
 somno vel in visione supernaturali fuisse
 conspecta.

Longo post hæc tempore S. Salvii
 sua cellula exire compulsus, & invitus E-
 piscopus Albigenis electus est. Ele-
 pso decennio cum illius Civitatis incolæ
 contagio invasisset, ipse tamen gregem
 suum ad exiguum numerum redactum
 non deseruit, sed infectos ut ad felicem
 mortem conscientiam præpararent, pa-
 terne exhortabatur. Adeo alienus a co-
 piditate habendi erat, ut si pecuniam ac-
 cipere compulsus fuisset, eam sine mori
 in pauperes distribueret. Obiit circa
 annum 584. & Desiderium Successorem
 habuit. Sancti Salvii Memoriam Eccle-
 sia decima Sept. colit.

Greg. VIII.
 6. 22.
Mart. 10.
 Sept.

Rex Chilpericus Dynastam nomine
 Dacconem interfici iussit, ad hoc facinus
 Ducis Dracoleni perfidia impulsus. Dra-
 colenus Dacconem structis insidiis ca-
 ptum Brennam ad Regem perduxit, per-
 movitque Chilpericum ut contra fidem
 datam eum vita exueret. Dacco intel-
 ligens, sibi certissime moriendum, a quo-
 dam Presbytero Pœnitentiam petiit in-
 scio Rege, quæ accepta necatus est. Ec-
 ce hic habemus exemplum Confessionis,
 &

& Pœnitentiæ secretæ in articulo mortis; Daconi enim tempus non supererat Pœnitentiam publicam subeundi. Id quoque ex isto facto discimus, Pœnitentiam Sacramentalem illis non fuisse concessam, qui capite damnati erant, cum necesse fuerit, Daconi Pœnitentiam clam & Rege istud ignorante dari. Id crudelitatis genus diu post hæc in usu fuit. (*)

Sæculum VI.
A. C. 580.

Greg. V. c.
26. Mabill.
præf. in Sæc.
3. part. I.
obs. 24. n. 98.

§. XLII.

Concilium Brennianum.

Rex Chilpericus cum comperisset, Ludastum Comitem Turonensem Ecclesias & Populum multis vexationibus afflixisse, eum munere suo privavit. Ludastus, jam diu Gregorio Episcopo infensus, eundem accusavit, quod urbem Childeberto Regi tradere cogitaret. Rege fidem non adhibente addidit, quod Gregorius diceret, Fredegundam Reginam & Bertrandum Episcopum Burdegalem thorum regium adulterii consuetudine fœdare. Chilpericus Rex contumelia excitatus Ludastum ab illis, quibus imperatum, pugnis, pedibusque protritum, & vinculis oneratum carceri mancipat. Nihilominus convocatis Bren-

v. c. 48.

I 2 niam,

(*) At hæc crudelitas non Ecclesiæ, sed Principum Sæcularium severitati adscribenda.